



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CCLX. Der Bischof Johann von Kamin spricht auf päpstliches Geheiß den Markgrafen Ludwig und seine beiden Bischöfe in Brandenburg und Havelberg vom Banne los, am 12. Nov. 1358.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

**CCLX.** Der Bischof Johann von Ramin spricht auf päpstliches Geheiß den Markgrafen Ludwig und seine beiden Bischöfe in Brandenburg und Havelberg vom Banne los, am 12. Nov. 1358.

Johannes, dei gratia episcopus ecclesie Camynensis, universis et singulis venerandis patribus episcopis, ac honorandis abbatibus, prioribus, prepositis, gardianis, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum ac monasteriorum prelatibus seu rectoribus et clericis ac personis ecclesiasticis, item ducibus, comitibus, baronibus, militibus, nec non civitatum, opidorum, castrorum et villarum consulibus, capitaneis, prefectis, scabinis et communitatibus in marchionatu Brandenburgensi constitutis, cujuscunque dignitatis, status aut conditionis fuerint, salutem in domino et mandatis nostris, immo verius apostolicis firmiter obedire. Noveritis, quod ea, qua decuit, reverentia litteras sanctissimi in Christo patris et domini, domini Innocentii pape sexti, omni prorsus suspicione carentes, in presentia venerabilium patrum, dominorum Hinrici, Lubucensis, Thyderici, Brandenburgensis, et Borchardi, Havelbergensis ecclesiarum episcoporum, et coram magna tam nobilium quam aliorum, clericorum et laicorum multitudine, recepimus in hec verba: Innocentius etc. Datum Avinione, X. Kal. April. pontificatus nostri anno sexto. Nos igitur per dominos Ludewicum Romanum, marchionem Brandenburgensem, Hinricum Lubucensis, Thydericum Brandenburgensis, et Borchardum, Havelbergensis ecclesiarum episcopos predictos, humiliter petiti et requisiti, volentes dictis mandatis obedire, ipsum dominum Ludowicum Romanum, prius, ac deinde ipsos episcopos predictos et in eorum personas procuratorio nomine, de quo nobis fidem fecerunt sufficientem et cautionem, omnem clerum ipsis subjectum pluresque alios clericos et laicos juxta formam ecclesie et secundum tenorem dictarum litterarum apostolicarum absolvimus ab excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis et aliis penis et cum eisdem super irregularitate, quam immiscendo se divinis contraxerunt, dispensavimus et nichilominus eos restituvimus ad famam, dignitates, honores, statum, bona et jura et quecunque alia predicta, injuncta eisdem penitentia salutari. Propter quod vobis, aliis clericis seu personis ecclesiasticis ac laicis, consulibus, capitaneis, prefectis, scabinis ac universitatibus civitatum, opidorum, castrorum et villarum, peccatorum nondum absolutos, predictum interdictum insinuamus et ad vestram notitiam deducimus observandum per presentes, quousque absolutionem et relaxationem et alia in dictis litteris contenta mereamini optinere aut aliud a nobis receperitis in mandatis. Exhibemus enim nos predictos, quandocunque cum humilitate debita nos requisieritis, et signa contritionis in vobis apparuerint, ita ut veniam debito mereamini, a dictis excommunicationum sententiis et penis aliis vos absolvere et dispensare et interdictum prefatum tollere et relaxare, volentes et mandantes, ut vos clerici cujuscunque status, qui requisiti fueritis, hanc gratiam et hoc nostrum, immo verius apostolicum mandatum vestris populis et vicinis in ecclesiis vestris et alibi, ubi hoc videbitur expedire, publice intimetis, reddentes presentes litteras vos, qui requisiti fueritis, vestris sub sigillis in signum, quod hec nostra insinuatio ad vos pervenit, et in signum executionis nostrorum mandatorum aliis deferendorum. Datum Havelberch, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. LVIII. XII<sup>o</sup>. die mensis Novembris, hoc est in crastino sancti Martini, nostro majori sub sigillo presentibus appenso et sub subscriptione publici notarii infra scripti, in evidens testimonium omnium premissorum.

Et ego Christianus de Nuwenborch, clericus ejusdem dyocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, huic absolutioni omnibus modis, ut premititur, interfui ac litteras apostolicas prescriptas sub vero bulla vidi, legi et auscultavi omni prorsus suspicione carentes, presentibus dictis dominis episcopis et copiosa multitudine clericorum et laicorum, et ad requisitionem reverendi patris ac domini



domini Johannis episcopi Camynensis subscripsi et eam signo meo solito signavi in majus testimonium premisorum.

Nach dem Originale.

**CCLXI.** Der Bischof Dietrich vereinigt die Einkünfte eines Altars in der St. Katharinenkirche der Neustadt Brandenburg mit der Pfarrstelle an derselben, am 29. Oct. 1358.

Ad perpetuam infra scriptorum memoriam. Nos Thydericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus universis et singulis presentibus et futuris volumus esse notum, quod cum beneficiorum ecclesiasticorum unio ac eorundem alterius alteri subjectio nobis ex jure in nostra competat dyocesi, pensatis causis pluribus, precipue autem, quod prime ipsius, videlicet quondam Nicolai de Lapidea Domo, civis nove civitatis Brandenburgensis bone memorie, foundationis et dotationis hec fuit intentio, mens devota et expressa voluntas, et quod redditus ecclesie nove civitatis Brandenburgensis jam dicte, in quibus ipsa non modicum est minuta, plebano suo ad congruam sustentationem non sufficiant, ad humilem et justam discreti viri, domini Alberti Thume, predicte ecclesie nunc plebani, petitionem nec non ad instantem honorabilium virorum, dominorum Thiderici prepositi et Henrici, prioris totiusque capituli ecclesie nove Brandenburgensis requisitionem plenumque consensum altare sancti Nicolai confessoris, in dicta ecclesia situm, jure patronatus et provisione ipsius altaris ad ipsius ecclesie plebanum utique pertinenti, vacans nunc per obitum Magistri Pauli de Storcow, bone memorie, a predicto Nicolao de Lapidea Domo olim sub nomine unius perpetue misse septem talentis cum quatuor solidis Brandenburgensis denariorum cum duobus et dimidio choris falis annuorum reddituum, in thelonio dicte nove civitatis Brandenburg. sitorum et annue tollendorum per magnificos et illustres principes dominos, primo dominum Rudolphum, ducem Saxonie, tunc marchie Brandenburg. tutorem, tandemque dominum Lodewicum, ejusdem marchie Brandenburg. marchionem, solempniter eidem altari appropriatorum et datorum dotatum et fundatum nec non olim per venerabilem patrem, dominum Johannem, bone memorie, predecessorem nostrum autorizatum, approbatum et confirmatum, sicut in litteris dominorum episcopi et principum predictorum evidenter patet, vñ super hoc peritorum consilio, ex causis supra pensatis ipsi ecclesie parrochiali nove civitatis Brandenburg. predicte cum redditibus supra dictis incorporavimus, conjunximus et univimus ac auctoritate ordinaria, qua fungimur, per hec scripta incorporamus, conjungimus et unimus, ita quod hujus ecclesie et altaris ammodo et in perpetuum sit unus et idem rector et plebanus, et quod plebanus, quicumque pro tempore est et erit, redditibus altaris predicti poterit et debeat uti et gaudere, sicut rector, salvis divinis officiis dicto altari annexis, per plebanum predictum vel ejus capellanum sine aliqua fraudatione vel subtractione faciendum et agendum. In quorum omnium testimonium nostrum et predicti capituli sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum Seyerfer, anno domini MCCCLVIII, in crastino beatorum apostolorum Simonis et Jude.

Nach dem Originale.